



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

In Nicolavm Catanevm, Opus eius posthumum Consiliorum & Decisionum,
ab Octauio filio editum laudat. Ode XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Ritè per æstatem construximus, ire parati ?
 Sedemus, & construximus .
 Iure quidem . Vefana mihi sententia bilem
 (Risum mouebit plurimis)
 Expressit Siculi, solertis cœterâ, vatis ,
 Dum nupèr instaret mori .
 Territat exemplo solum vixisse poëtam ,
 Turpi probrofus exitu .
 Prodigia quis nescit Pompei facta Columnæ ,
 Cuius domum cum dexterâ
 Expansam ingenio noctesquè diesquè tenentis ?
 O eruditis mentibus
 Proxima gens semper, facilisquè ac tuta columna !
 Quo cepit olim à fornice ,
 Tanquam carceribus, Capitolî meta Petrarcham ,
 Mendicus it Balduccius .
 Fortè suas Princeps pro more redibat ad ædes
 Pransurus, actâ Curtiâ ;
 Limine habet vatem mirans (nam liquerat ægrum)
 Sedi Lateranæ inditum
 Quatuor effultæ manibus : Quis abit ? sum ego, mi Rex:
 Quò lassus ? infirmos greges
 Inter alendus inops, celeri vel morte leuandus .
 Cubile delirus pete ,
 Vndè venis : ah, Pompeius sic notus amico !
 Sic hospitem fœdas cliens ?
 Diç fodes, quid opus ? medicus tibi, pharmacopola ,
 An fortè peccauit coquus ?
 Omnia abundè : tamen nequeo peruertere fatum :
 Quod (cogit vt ferrum lapis
 Ille niger) iubet occultâ virtute poëtas
 Lecto perire publico .

IN NICOLAVM CATANEVM,

*Opus eius posthumum Consiliorum & Decisionum
 ab Octauio filio editum laudat .*

O D E X V I I .

L Egifer, OCTAVI, Catane natale Charondas
 Iactat, nec indignus, solum,
 Iuridicæ regnum Cereris : gentile parentis
 Hinc fluxit & nomen tui .
 Candidior quo non Clitumnus iudice, quo non
 Sentinus iuit purior ,
 Donèc Fulginiam Themidis responsa monebat ,
 Litesquè ciuis ruperat .
 Fine nimis curto conclusimus : Itala tellus
 Parebat omnis arbitro .
 Heu silet extinctus, redimant quem parte loquentem
 Cæsarquè regni & Pontifex .
 Sed cælo securus abest ; securus & absit :
 Tu vota terrarum dabis
 Completa, ô Fili, generosi pectoris hæres ,
 Phœnix relictus patriæ .
 Posthuma diuulgas, vocisquè vicaria scripta :
 Quid euocamus conditum ?
 Sic Plato, & Hermogenes, & codicis Induperator ,
 Fato vigent superstites .

 AD BERNARDVM HOVVARDVM ,
 DVVIS NORFOLCIAE FRATREM .

Celebrat ab Vrbe discedentem . Quantus honos ei ha-
bitus Romæ ac Neapoli narratur .

O D E X V I I I .

E Rgò abitur claræ nequeunt spectacula Romæ ,
 Longo videnda seculo ,
 Nec Cumæus ager, cedant cui Theffala Tempe ,
 Primusquè flos Neapolis
 Ad paucos proferre dies? dedit Anglia çalçar ?
 I, (quandò amicorum preces

M

Non